

804

*Obelerius
Dux.*

*Olivolensis
seu Castellani
Episcopatus
institutus.*

*D. Moyses
templum
quando con-
ditum.*

Joannis indignam mortem ulturus, cum primoribus Veneti nominis agere cœpit de Principatu Mauricio juniore & patri abrogando, qui se infando parricidio nulla injuria laceffiti astrinxissent. Verum patefacta conspiratione, subito ille cum aliquot ejus consilii consociis Taurisium concessit: in quibus Demetrius Marmanus, Foscarus Georgii & Obelerius Medoacensis eo tempore Tribuni fuere: Fortunatus Taurisio profectus in Galliam, ad Carolum Imperatorem se contulit: cujus suasu Bonitendus ait impulsus Regem Pipino filio, ab Adriano Pontifice Italiæ Rege appellato, Venetum bellum demandasse: atque eo modo evenisse, ut in Mauricii parricidæ & patris invidiam, qui Obelerio Medoacensi, quem diximus Fortunatum Antistitem Taurisium secutum, Duce declarato, in exilium hic senio pressus Mantuam, ille in Galliam abierant: Heraclia, quia inde illi originem traherent, cum circumjectis locis sit everfa. Quidam auctores sunt, Joannem a Mauricio majore missum ad Gradum oppugnandum in Joannis Antistitis illic cæsi ultionem: quod ille quia parum sincera fide præstitisset, Fortunatum infensum habuisse creditur. Neque id quoque omnino constare video, quamdiu tres illi continuata serie Reipublicæ præfuerint: Bonitendus tamen ita breviter illorum tempora colligit, ut Mauricius major Princeps fuerit annis tribus & viginti: cum quo Joannes filius annos novem Rempublicam administraverit: totidemque deinceps solus: demum cooptato Mauricio minore, anno septimo ejus collegii in exilium cum filio abierit. Tradunt quidam, Mauricii majoris Principatu Pontificiam sedem in Olivolensi (quod *Castellum* postea in parte urbis dixere) Adriano Pontifice auctore constitutam, insulis quæ tum *Geminæ* dicebantur, Rivoalto, Luprio, ac Duro dorso, illi subjectis. Sub id quoque tempus memorant quidam, a Scopariis, illustri tum in Venetis familia, Divi Moysis fanum præclaro, ut tum erant civitatis opes, apparatu erectum, amplissimisque donariis ornatum, ædemque ad hæc Michaelis, quam hodie vestigio vetustatis circa Brundulum ostendunt, opere & opibus a peregrino homine auctam. Ferunt Sergium quendam, virum ea tempestate Senogallicæ civi-